





B. N. C
FIRENZE
1012
23

1012.23









Q. D. B. V.
De

Superioribus Un-
gariæ Conversionibus,

disputabit

SUB PRÆSIDIO

C. S. SCHURZFLEISCHII,

Prof. Publ.

JOANNES MASCHIUS,

Pasevvalcko-Pomeranus,

In Auditorio Majori,

Ad d. XXII, Febr.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M D C LXXXVIII.



VIRIS
ILLEUSTRIBUS, GÆNEROSIS, MAGNIFICIS,
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS GRAVIS-
SIMIS DOCTISSIMISQUE DOMINIS,

DDDNNN.
CONSULIBUS,
SYNDICIS, &
SENATORIBUS,
Inclutæ Reipublicæ & Libe-
ræ Imperialis Civitatis LUBË-
CENSIS,

Nec non
STIPENDIATORUM Parchamensi-
um Ephoris Gravissimis Meritissimis,
DOMINIS PATRONIS ET STUDIORUM
PROMOTORIBUS OPTIMIS MAXIMIS.

Dedicat
Humillimus cliens & servus
Joannes Maschius.




Duo insunt rebus humanis pondera, quæ summorum Virorum personis digna maximè sunt, & decus dignitatemq;ve conciliant, Virtutesq; Imperantium non parùm adjuvant. Alterum est, quo communem Reipubl. salutem ab externâ hostium vi & intestinis morbis ac gravioribus periculis consilio & prudentiâ defendant; alterum, quo optimarum artium disciplinas & literarum studia curæ sibi commendataq; habeant. Utrumq; horum tantâ cum animi contentione Majoribus Vestris observatum à Vobis, PATRONI OPTIMI usq; ad hoc tempus continuatum permansit, ut a perenni eorum

gloriã non modò non defecisse, sed Vir-
tutes adauxisse videamini. Quis dene-
gabit VOBIS servatæ Reipubl. laudem,
quæ Majoribus semper Vestris delata
est, quamqve Virtus mercedem labo-
rum periculorumq; desiderat? aut quis
non tribuet amorem, quem ipsi in lite-
ras, earumqve cultores, bonosq; omnes
VOBIS sumitis? quæ æternum decus
splendoremqve efficiunt. Hæc apuda-
nimum reputanti mihi causa extitit
consecrandi VOBIS, quam Speciminis
Academicilocô de SUPRIORIBUS UN-
GARIÆ CONVERSIONIBUS Dissertatio-
nem habui, certioris spe ductus, à nemine
nisi Vobis rectius errores & vitia affli-
ctæ hætenus & consiliis suis perculsæ
(nunc

(nunc autem iratori Turcarum genti
divino Numine recuperata:) Hungariæ
animadversum, studiaq; mea per id ad-
jutum iri. Quæ si unquam MAXIMORUM
PATRONORUM subsidia, opem, fidemq;ve
implorârunt; hoc certè tempore, ubi in
Vestra potestate sita se intelligunt, au-
xilia à VOBIS petunt. Accipite i-
gitur hanc qvalemq;ve devoti ani-
mistesseram, & me studiaq; mea divino
Vestro favore amplectimini. Deus im-
mortalis, qvem arduis pro Incolumitate
vestra precibus defatigabo, Vos con-
servet, & cladem & Infortunia à Ve-
stris, Calamitatemq;ve à Republ. depel-
lat, & bene Vos agere, æternumq;ve va-
lere jubeat!

Dabam Vitembergæ
dic 18. Febr. 1688.

FLORENTISSIMO JUVENI,
JOANNI MASCHIO,
Amico suo percharo, publicè
disputanti,
PRÆSES.

 *Minò supervacuum dico, referre tuas laudes, quarum nemo iniquus æstimator est, & ego suffragator adsum, qui vitam moresque tuos propiùs norim. Sæpe autem, nec insuavi recordatione tuæ consuetudinis afficior, sed partes gratulandi susceptas, aliis relinquo. Verba viro non addunt animum, præsertim tibi, perpolitò homini, & omnibus doctrinæ*

n.e sapientiæque studiis confirmato. Nec tamen id tibi permittis, ut patrum, qui virtutis causa bene tibi cupiunt, suffragia nullo loco habeas, temereque contemnas. Illud autem te rectè & sapienter facere arbitror, quod vulgi, hæc studia aspernantis, sermonibus minimè omnium commovearis. Perge igitur, & in proposito insiste, ut omnes intelligant, magnas atque insignes esse superioris tuæ laudis accessiones. Hoc abs te postulo, hoc patroni flagitant, qui non modò nullum tui, non modò sublevandi, sed etiam ornandi locum prætermittent. Erit tempus, quod studiorum rationes distingvat, præmiaque merentibus decernat, nec conatum probet, nisi dignus conatum exitus subsequatur. Vale. cl. bc XXXVIII.

Πολυμαθεῖ Κυρίω,
ΙΩΑΝΝΗ ΤΩ ΜΑΣΧΙΩ,
τῷ Φιλέλληνι, χαίρειν!

ΚΑλὸν μὲν πέλει, Ἱστορικὴν περὶ κῆρι Φιλέμμεν,
Ἑλληνικὴν τε Γλώσσην.

Σὲ πρήξαντα τὸ, ΜΑΣΧΙΑΪΔΗ, θέμις ὄμμασι τάυτης
Θεᾶται εἰν Ἀθήνης

Ὡς μέγα Λευκρίδων κῦδ' ὩΜΑΚΡΕΟΣ Ἀνήρ
Ἄγαπᾷ ῥα τήνδε σπαδὴν!

Σοὶ γῶν συγχαίρω! χάρις ἡμερόεσσα ἸΗΣΟΥ
Καλῶς σε ζῶντα σώζοι!

Μηνί Φεβρουαρίῳ τῷ τῆς παρ-
θεολογίστεως ἔτι
κ χ π η

Μνημοσύνης το κη εὐνοίας ἵσταται αὐτοχρῶδ.
πάν ἀσχολούμεν' ὁ τῆς ΣΧΟΛΗΣ ἐν
Ουπερωιέγγη Κυβερνήτης,

Μ. Ἰωάννης ὁ Πεισικῆρ',
ποιτ. Καισ., κ τ λ.



I.

Mutatis populorum moribus, plerunqve fortuna eorum convertitur, & penitus mutatur, quum ipsi se impediunt, dissi- diisqve implicant, suorumqve auctores malorum, animos & consilia distra- hunt, belliqve rudes, in bellandi audaciam pro- rumpunt.

II. Quod Græcis usuvenit, qui persæpe bello civili seditionibusqve agitati sunt, ex qui- bus mutandi imperii occasiones, & magna gravioraqve subinde mala extiterunt. Horum fontes jam ab ultimis inde seculis aperuit scri- ptor belli Peloponnesiaci *Thucydides*, qui, ut antiquissima regna *Herodotus*, sic ipse veteres Græciæ civitates, resqve publicas diligentè con- signavit.

III. Deinde in mollitiem versi, athleticæ potiùs, quàm militiæ operam dederunt, atqve

A

omise

omissis belli artibus, à martio majorum ingenio defecerunt prorsus ac degenerârunt. Ea fuit causa servitutis Græciæ, dudum à *Plutarcho* scriptore gravissimo animadversa, qui auctor est, Romanos rerum dominos, ita sensisse & existimâsse de Græcis, ut in *problematibus* tradit.

IV. Hoc pacto vigor Græcorum infractus, & robur Græciæ consumptum est, maximè Romanis imperantibus, qui subacto Macedonia regno, reliquos Græciæ populos facilè sibi obsequentes, aut obnoxios habuerunt. *Livius XLV. 7. 8. 9.* Namque id Romanis opportunum accidit, arma in Græciam transferentibus, cum nec domesticis, neque externis viribus confidere possêt, quæ antea præter ceteras gentes imperio belloque floruerat, & jus libertatemque servârat. *Tullius in orat. pro Flacco.* Sed postea regionum suarum terminos, quos diu auxit, multumque protulit, defendere non potuit, errore potius & vitio gentis, quam casu & necessitate rerum humanarum.

V. Equi-

V. Equidem superiori ætate, populus ille parvum Europæ locum nactus, non suis se continuit finibus, magnamque Asiæ partem adjecit, & Phrygiam, Mysiam, Cariam, Lydiamque; & præstantes maris Ægei insulas occupavit. At ubi ab hac disciplina recessit, fractis mollitie animis, fortitudo per ludos & spectacula sensim imminuta & amissa est, maximè quum vetus Macedoniæ regnum, in multa regna distractum exolesceret, roboreque deperdito, Romanis cederet in prædam. *V. Tullius & Livius cit. l. Tum Isocrates & Aristides Rhetores in argumento de incremento & inclinatione Græciæ conferantur.* Illud verò memorabile est, quod de allato victi Persei nuncio commemorat *Plutarchus in vita Pauli Æmilii: ante hunc Plinius lib. VII. cap. 22. hist. nat. post utrosque Laetantius lib. II. c. 8. institut. divin.* Rectè adeò *Seneca* affirmavit, luxuriam, quæ Græcorum mores corrumpit, ægræ civitatis indicium esse, *epist. CXIV.* *Homerus* omnium, qui extant, profanorum antiquissimus scriptor, non dubitavit, ejus notæ homines, furentium numero

cenſere, quippe quibus libido ſenſum ratio-
nemque eripuiſſe videatur. *Iliad. XV. 128. 129.*

VI. Omne tandem hujus gentis robur
defecit extinctumque eſt, ſub tempora Palæo-
logorum Joannis & Conſtantini, quorum al-
ter arcendi hoſtis occaſionem neglexit, quem
aditu Europæ intercludere debuiffet, alter ca-
pto ſuperſtitione populo, & deletâ cum juſtitiâ
fortitudine, Imperium conſilio deſtituit, atque
ab amicis deſertus, caput rerum ſimiliter ac vi-
tam, ſœdo ſpectaculo, amiſit. *Laonicus Chal-
cocondyles lib. VIII.*

VII. Ante captam urbem Palæologi æ-
mulationibus juxta atque diſidiis res ſuas di-
ſturbârunt, barbarosque, velut patefacto adi-
tu, in Europam invitârunt, unde poſtea, viribus
exhauſtis, eos expellere non potuerunt. *Videan-
tur poſt Chalcocondylen, Æneas Syluius de ſta-
tu Europe ſub Friderico III. Cuſpinianus in eo-
dem, Sabellicus Ennead. X. l. 6. Mart. Cruſius
in Turcogracia lib. I. Viçt. Strigelius in ſchol. bi-
ſtor. lib. II.*

VIII. Dejectis de imperio Palæologis,
ali-

aliquanto post excisisunt Comneni, & Trapezunte, quæ sedes imperantium erat, sub jugum missâ, imperium, quod in Cappadociam Colchidemque patebat, pari & acerbâ hujus gentis fortunâ periit, funditusque est deletum. Eadem servitute oppressum est Paphlagoniæ regnum, cum fama Mahometis II. metum injiceret finitimis, & memoria crudelitatis, quam is Constantinopoli exercuit, plerosque adeo perterrefaceret, ut pro solatio haberent, voluntariâ deditioe prius salutem pacisci, quam armâ in ipsos convertebantur. *Chalcocend. c. l. Phil. Lonicerus in chron. Turcico t. l. Reinerus Reineccius in appendice ad Haythorum.*

IX. Hæc initia causæque calamitatis rei Christianæ extiterunt, cum Græcis majori partē subactis & domitis, crescerent barbaris animi, & interceptâ Thraciæ urbe ad Bosphorum, occasiones suppeterent bello in vicinos transferendo. Jamque via ad invadendam Europam aperta, & impetus in Serviam factus est, ubi re non prosperè gestâ, movit in Asiam, regnaque Davidis & Ismaelis in provinciam re-

degit: hinc Ciliciam, Lemnum Lesbunq; insulas subegit, Stephanumqve, captâ Jayczâ, regno Bosnæ multavit, & postea everfis, qui dissidebant, Palæologis fratribus, Thomâ & Demetrio, Peloponnesum, quam multi sinus, portus & promontoria nobilitant, ditioni suæ adjecit, ac Eubœam, quam Euripus illustrat, munitissimumqve ejus insulæ castrum Chalcidem, olim inter compedes Græciæ relatum, & alias regiones atqve insulas, Græciæ conjunctas, vel finitimas debellavit. *Antonius Geofreus lib. III. Levinus Hulsius in chronologia cap. XXIII. & XXXI. De Chalcide vid. Livius xxxii. 37. de Peloponneso Franciscus Phibelfus libr. v. in epistola ad Carolum Francorum Regem, Dominicus Niger Geograph. commentar. xi.*

X. Tantum detrimenti acceptum est unius jacturâ urbis, in qua arx propugnaculumqve rei Christianæ amissum est, propterea quod situs opportunitate, & portus navigationisqve commoditate cunctas Europæ urbes facile antecellit. Quæ Ponto Euxino, Bosphoro & Pro-

Propontide alluitur, & gemini maris janua & custos est, ac domina Archipelagi, atque Europæ simul & Asiæ porta, ad capeſſendum terrarum orbis imperium condita & facta, *apud Petrum Gillium, qui Thraciam Græciamque diligenter obiit, urbemque hanc, in Thracia umbilico ſitam, & maris continentisque itineribus peridoneam, ſummo ſtudio atque indiſtriâ deſcripſit.* Ex qua urbe, velut ſede Imperii, Turcæ legiones coloniasque emiſerunt, atque adorti finitimas regiones, alias ditioni ſuæ ſubjecerunt, alias vectigales reddiderunt. Quin etiam, ut vulgò tradunt, exinde ſibi jus aſſeruerunt in omnes veteris Imperii provincias, atque in Romam ipſam, occidentalis Imperii ſedem. *Arn. Clapmarius lib. II. cap. 17. de arcanis imperii.* Non inferior, Mahometem II. captâ urbe, ſucceſſu elatum, majorique imperandi cupiditate incenſum dixiſſe, unius imperium divino eſſe proximum, & hujus ſimilitudine ac dignitate præter cetera æſtimandum, quod rebus humanis maximè conducat, dignumque ſit, quod ſolum in terris conſtituatur. *Joannes Thurocius*
chron.

chron. Hungar. cap. LV. Fateor quoque, occa-
sionis gnarum, temporeque sapienter usum,
aliquot post urbem captam annis, Serviam
Hungariamque oppugnasse, sed ex alia causa,
atque putat *arcanorum existimator*, quippe
quæ, ut Mahometes censebat, ad illatam ab
Hungaris injuriam spectabat, non autem fun-
damento nitetur repetendi provincias, amif-
sas olim, & de imperio Cælo detractas, quæ mul-
tis ante sæculis ab imperatoribus Græcis, dereli-
ctæ erant. Tanto minus quicquam Mahometi
competebat in Romam, quæ dudum libera, so-
lenni que pacto ab Imperio sejuncta, suis re-
gebatur legibus, separatasque aded rationes
habebat. In illas autem regiones, quas nuper
Emmanuel Palæologus in septenas portiones
diviserat, ratione multò valentiori jus confir-
mare potuit, & partes repetere abalienatas.
Ita verò errore divisionis admisso, distractæ
sunt Palæologorum res, discerptæque regio-
nes, quas Emmanuel, à quo Joannes & Con-
stantinus, hujus gentis Imperator ultimus, pro-
gnati sunt, conjunctas potiùs retinere debuit,
quàm

quam partiri & divellere inutiles perniciosoque
exemplo. Hoc enim modo jactum est ab A-
murathe fundamentum terribilis Turcarum
dominatûs, quem expugnatâ urbe, prope in
immensum auxit Mahometes II. *Joannes Leun-
clavius hist. Turc. lib. VI. & XV. & Petr.
Bizarrus lib. IX. Joach. Camerarius in narra-
tionibus Turcicis p. 48. Haud dubiè Bajazethes
urbem ad extrema redactam occupaturus fuif-
set, nisi Timur Scythæ, qui vulgò Tamerlanes
est, armis in eum versis, ab incepta obsidione re-
traxisset. Pariter Amurati & Mahometi II.
resisterunt Georgius Scanderbegus, & Joannes
Huniades, qui impetum quantis poterant viri-
bus cohibuerunt, & hujus etiam florentis fortu-
næ cursum remoratus est Usuncassanes, quo
non quidem restinctus, sed temperatus tamen
& fractus est imperandi ardor, ut minus Chri-
stiano orbi damnum afferret. Omnino enim his
rebus colligendi se ac resistendi spatium Hunga-
riæ datum videtur. Vid. post Laonicum Chal-
cocond. Leunclavius, Bizarrum, Jacobus*

Struckbusen in syntagmate hist. Saraceno Turc.
p. 134. seqq.

XI. Ruentis Græciæ fatum Hungaria
secuta est, quum Turcis impar, fervido consi-
lio conatuque bellum fecit, & certamine du-
bio maximeque periculoso apud Nicopolin ex-
periri cœpit, atque audaciâ & pugnandi impe-
tu cladem, quam prudenti cunctatione ante-
vertere poterat, sibi maturavit. Quo ictu re-
gnum prope concussum, & tranquillitas ferme
omnis sublata est, exortis passim factionibus,
& Rege ob adversam fortunam contempto,
ut qui nihil expectatione suâ dignum egisset,
præliumque, ex quo spes gentis pende-
bat, festinatione præcipitasset. Nam statim atque
stragis nuncius in Hungariam perlatus est, se-
ditionem concitavit Stephanus *Vairova*, &
culpam acceptæ cladis contulit in Regem,
censuitque regno multandum. Postea rever-
sum contumeliosè habuit, fideique pariter &
obsequii oblitus, svasit, & auctoritate suâ per-
vicit, ut captus & comprehensus, in vincula
conjiceretur, prælii semere commissi pœnas
da-

daturus. Sed ex carcere ignominioso arte & astu tandem evasit, ac liberatus, de Stephano seditionis principe dignum scelere supplicium sumsit, qui cum Sigismundo regnum abrogari cupiebat, tum in primis commendabat Ladislaum, eumque submoto rege legitimo, succedere in locum, & novis ad eum auspiciis regnare volebat, ac ne quid tuendo Ladislao deesset, operam auxiliumque ab hoste nominis Christiani Bajazethe petendum judicabat. Quam Stephani, & sociorum aliquot Hungariæ procerum factione, barbaris primus in Hungariam aditus est patefactus, non minori conjuratorum flagitio, quam regni Hungarici damno, quod serius, ac decuit, Christiani orbis Principes secum reputarunt, neque tempestivis & communibus auxiliis hostem à Thracia venientem represserunt. *Thurocius Chron. part. II. cap. 8. seqq. cap. 12.* Carolus quidem Francorum Rex, hujus nominis sextus, pro suo in Luzelburgicos studio, subsidia misit Sigismundo Regi, sed hujus nimia virium fiducia, & Gallorum, qui impetu ad pugnam rapiebantur, temeritas parti-

tibus Christianorum obfuit, fructumque vi-
ctoriæ eripuit, atque ejus regni fortunam pro-
sus convertit. *V. prætet Thurocium, Fros-
sardus, Geufraus, Bonfinius, Leunclavius, a-
lii.* Franciscus Philelfus æqualis illorum tem-
porum scriptor affirmat, Sigismundum audaciâ
potius, quàm prudentiâ usum pugnâsse lib. VIII.
epist. Huic suffragatur Lubienskius in oratione
funebri Sigismundi III. p. 482. Illud pro certo
omnes eventorum periti affirmant, Gallos non
expectato sociorum auxilio, in prælium descen-
dissè, & circumventos à Turcis ac disturbatos
secidissè, aut captos fuisse. Non probavit, ne-
que suasit Sigismundus, quinimò contradixit
& refragatus est sociis moræ impatientibus, sed
horum prompta atque inutilis audacia spem
Regis confudit, & cladem exitiumque Christia-
nis acceleravit. Tanto magis excusandus est
Sigismundus, quanto celerius obstinatiusque Gal-
li ruebant in pugnam, & cautum callidumque bo-
stem protervè laceffebant, maximè tunc, cum
nondum appropinquassent Germani & Hunga-
ri, cum quibus castra conjungere, & morem præ-
lian-

liandi Turcicum usu & consuetudine sensim ad-
discere, aut minimum auxilia opperiri debuissent.
Sed intempestiva praecepta laudis cupido illos
in praelium simul atque exitium egit, auctore
in primis Philippo comite Ugellano, qui praeter
ceteros gloriae appetens, spretoque Sigismundi
consilio, pugnae avidus, tractis in sententiam Gal-
lis ac Burgundionibus, primam aciem Hunga-
ris Germanisque praeripere studuit, & cata-
pbraestos de equis desilire iussos pedibus dimica-
te voluit ac mandavit. Quo factum, ut equi
fessis vacui, procurrerent in castra, Hun-
garosque perturbarent, qui novitate rei metu-
que percussi, dabant sese infugam. Intersuit
praelio Joannes Comes Nivernensis, postea Bur-
gundiae Dux, pretio soluto dimissus, atque ad
suos reversus, cui falsò quidem originem aurei
velleris tribuunt, quasi ad conservandam ca-
ptivitatis memoriam, hanc sodalitatem institue-
re voluisset. V. post Frossardum, Jacobus Mar-
chantius Flandriae lib. III. Ant. Geufræus lib. III.
Annus editae stragis fuit MCCCXCIII. Jo. Leun-
clavius pandect. Turc. cap. 51. Ex quo corri-

gendi sunt, *Joachimus Camerarius in narrationibus Turcicis*, & *Boxhornius in chronologia*, qui annum *mccccxvi.* turbatis temporum rationibus, supputarunt.

XII. Victo Sigismundi exercitu, Græcia jugum subiit, & caput Thraciæ, acceptis à Bajazethe conditionibus, proximè ab exitio abfuit, nec multò post Valachia, Moldavia, Transylvania, & regiones ad Istrum sitæ, præsidiiisque nudatæ, iverunt in partes, rebusque novis studuerunt, & pleræque temporum fortunâ exacerbata, armis repente sumtis, Regem oppugnârunt. Quibus motibus ac mutationibus facem prætulit turbulenti Vir ingenii *Stephanus Vairvoda*, quum regno perniciem machinatus est, missis ad Bajazethem nunciis, qui ad opprimendum Sigismundum auxilia petent, amplasque conditiones, de clientela, & connubio inter Ladislaum & Bajazethis filiam ineundo, offerrent. *Thurocius cit. Chron. cap. 12. Toppeltin in appendice rerum Transylvan. Auctor notationum Coronensium ad an. 1397.*
Joach.

*Joach. Camerarius in narrationibus historicis
ad an. eundem.*

XIII. Ita uno errore & Regis Sigismundi auctoritas, & regni tranquillitas subversa est, parumq̃ve abfuit, quin unâ illud ruina opprimeretur, nisi improvisa Stephani cædes repentinum Hungariæ exitium antevertisset. Iisdem enim fatis hoc regnum, quibus Græcia urgebatur, quod proceres non modò mutuis inter se odiis disiderent, sed etiam barbaros auxilii causa evocarent, & pari adè cum Græcis fortunâ uterentur. *Petrus de Reuva in cent. quinta rerum Hungaricarum.*

XIV. Nimirum fervidi & præferoces populi fere incauti, atq̃ve insidiis opportuni sunt, nec pacem diu pati possunt, neq̃ve bellum circumspectè gerunt, moribusq̃ve & studiis dissimilibus impediti, alii repugnant aliis, & mutuâ æmulatione sibi reiq; publicæ vehementer nocent. Validi equidem & bellicosi erant Hungari, donec concordēs manebant, sed ubi excusâ Regum reverentiâ, subsidium ab audacia petebant, licentiâq̃ve turbandi omnia

omnia miscebant, summotâ quiete, & ordine consilioque sublato, bella ferociùs, quàm feliciùs gesserunt. Hinc clades except cladem, & calamitas calamitatem secuta est, cum perruptis regni vinculis, non conjuncti inter se consilio & disciplinâ, fidem & obsequia mutarent. Quam ob causam Hungari alterâ vice profligati sunt, auctisque passim dissensionibus, sinistra agendi auspicia, & tristem funestumq; prælii in campis Columbazenis commissi, exitum habuerunt. Hoc fuit malorum caput, quo neglecto, irritus fuit conatus Hungarorum, qui magno alioquin apparatu, viribusque conjunctis, Turcas ex Europa ejicere potuissent. Quod animo providit Bajazethes, solutaque urbis Cplæ obsidione, in Mœssiam contendit, disjectisque Christianorum copiis, Nicopolin, expeditione & monumento Trajani celebrem, liberavit, aditumque simul & possessionem insignis Europæ partis retinuit ac stabilivit, vastatas quoque, & ab incolis desertas Græciæ urbes, hominum frequentia auxit, Judæisque ex Hispaniapulsis replevit.

Antonius Bonfinius rer. Ungar. decad. III. lib. II. Geufraus cit. l. conf. Georgius Phranzes, Paulus Jovius, Joannes Lucius, & VVolfg. Drechsler in Chron.

XV. Cum eo loco essent res Ungarorum, adhuc per ipsorum discordias creverunt barbari, nec melior fuit regni facies, quum Sigismundus Imperator Romanorum creatus est, quæ nova dignitas eum impedivit magis & distrahit, atque inprimis ad curanda imperii negotia avertit. Quo tempore Ungari, superioribus malis fessi & segnes, ac suapte culpâ, in majora pericula adducti, ægre se comparabant ad resistendum barbaris, atque his augendæ in Europa potentiaë occasionem pariter ac materiam dabant. Equidem Sigismundus prudens & usu rerum exercitus, nihil non agebat & annitebatur pro defensione finium, & maximopere timebat rebus Hungaricis, sed opportunè cavere non poterat, pro conditione illorum temporum, quæ misera ac turbulenta erant, Cæsaremque bello Italico & Bojemico implicabant. *Achilles Tarducci in Turc.*

*vinc. part. I. Ioannes Nadanyi Flor. Hung.
lib. III. cap. 5.*

XVI. At verò secundi Turcarum successus aliquandiu impediti sunt, cum Bajazetes sæpius victor, postea victus, fortunæ ludibrium esset: cuius filii animos viresque dividerunt, belloque intestino commisi, prosperioris fortunæ cursum, aliquo Hungarorum commodò, retardârunt. Quos errores correxit Mahometes I. & regna patri suo erepta, vi & armis recepit, fusoque ad Columbezam Sigismundi exercitu, magnis viribus movit trans Istrum: mox Valachis tributa imposuit, atque in Mœsiam superiorem, non amisso victoriæ fructu, penetravit. Amurates II pari impetu Thraciam Græciamque pervasit, cum Palæologi eum prohibere non possent, & in spe ac metu æquali versarentur. Albertus equeidem secundus, Sigismundi successor & gener, cupiebat res Hungariæ præstare salvas, & rejicere hostes ab Istri aditu, regni que finibus arcere: sed in tanti apparatu belli Albertus, relicta uxore gravidâ, decessit, difficilimo regni tempore, quo Regis impe-

imperio maximè opus fuit. *Aeneas Sylvius*
hist. cap. lvi. Gerardus de Roo lib. v. Cum
hujus morte spes publica concidit, præsertim
cum Reges procul remoti, atque extra belli
discrimen positi, labentis Hungariæ conver-
siones otiosi spectarent. Interim capta est Si-
derovia in ripa Istri, quarto lapide Pelgrado di-
stans, quæ Amurati fines aperuit, Hungariam-
que injuriis Turcarum exposuit, detractis
Servia Rasciaque regionibus, quæ antea in Re-
gum Ungarorum clientela erant. *Bonsinius*
dec. III. lib. IV. Joannes Dubravius hist. Bo-
jem. lib. xxviii. Nec Veneti nascentibus ma-
lis in tempore occurrebant, quibus Thessalo-
nica, urbs Macedoniæ portu & arce insignis,
erepta est, quam ab Andronico Palæologo em-
ptam hæcenus possidebant. *Petrus Justinia-*
mus hist. Ven. lib. vii.

XVII. Nec dum verò tranquillitati stude-
bant Ungari, & in diversas partes tracti, etiam-
num privatæ libidini, factionibusque, cum pri-
mis interregni tempore, serviebant: accitus de-
inde ex Polonia Vladislaus, ac, neglecto Alber-

si posthumo, Rex Hungariæ creatus, in magnam spem erexit Hungaros, & adjuvatore in magnis rebus Hunniade, pulsus hostibus, Belgradoque liberato, Serviam Rasciamque recuperavit, postea juvenili audaciâ corruptit hanc laudem, collatisque cum Amurathe signis, regnum damnis affectum, cladibusque sæpe attritum, uno conflictu perdidit, ac nobilitatis florem, & universas regni vires confecit. Pugna ad Varnam conferta est, fortunâ diu ancipiti, & magno continuatoque pugnantium impetu, ut modò huc, modò illuc victoria inclinaret. Sed Vladislaus, spreto Hunniadis consilio, in confertissimos hostes inventus, eqvo inter pugnandum confosso, in terram decidit, telisque prætorianorum, quos Amurathes I. instituit, obrutus, violatæ fidei & temeritatis pœnas dedit. Quod bellum Vladislao dissuasit Joannes Hunniades, & Dracula Valachus à prælio dehortatus est; alter ad servandi fœderis religionem spectabat, alter paucitatem copiarum, & grave anni tempus, aliasque difficultates æstimabat. Verùm Eugenii IV. &
Ju-

Juliani, quem Pontifex in Hungariam miserat, obtestationes, pariterque Georgii *despotæ* preces, ac repetitæ adhortationes, imprimis valebant apud Regem, ut rumperet inducias, & Amurathe in Asiam adversus Carmanum profecto, decerneret expeditionem. Maxime cum ei spem auxilii facerent Pontifex Romanus, Veneti, Genuenses & Philippus Burgundio, qui classe in Hellespontum missâ, Turcas reditu prohibituos se receperunt. Sed promissi fides non impleta est, quum Turci delusus astu Latinis, copias numero viribusque maximas in Europam reducerunt, ac nemine resistente progressi, septimo itineris die, non procul ab urbe Varnensi constitierunt. Tanta vis fati erat, ut denuò vincerentur Ungari, admonituri posteros, ne pacta non reverenter habeant, secumque reputent, si mala sit causa pugnantis, pugnae exitum facile prosperum esse non posse. *Philippus Callimachus de clade Varnensi lib. II. Post hunc Bonfinius, qui fortitudinem & justitiam Vladislai laudibus ornavit, decad. III. lib. VI. Sed alteram fero-*

cientis animi temeritate, alteram ruptâ indu-
ciarum pactione contaminavit: illam agno-
scit Leunclavius in annalibus Turcicis: hanc
non dissimulat Joannes Hunniades, & perfidi-
e auctores pœnas exolvisse affirmat, apud
Bonfinium dec. III. lib. VII. Quidam accusant
Joannem Hunniadem, quod Vladislaum, jam
partâ prope victoriâ, fortissimè pugnantem de-
stituisset, Lubienskius in or. fun. Sigismundi
III. p. 482. Contra alii tradunt, Hunniadem
belli peritissimum, obsecrâsse Regem, parceret si-
bi, & periculum fugeret, neque in medios ho-
stes se inferret: eam ob causam, structa acie,
tntiorem locum Regi assignâsse, ut quo salvo,
de summa rerum bene speraret. Ipse tandem
Bonfinius inficiari non potuit, Vladislaum ju-
venili tractum audaciâ, id est, sine consilio &
prudencia, ac præter voluntatem Hunniadis,
cum septuaginta equitibus, profuuisse in castra
hostium, armorumq; indicio cognitum, atque
ad eo ab hostibus circumventum occubuisse.

XVIII. Cælo Vladislao, administravit
regnum Joannes Hunniades, è pugna Varnen-

si dilapsus, sed cum in Hungariam tenderet, à Dracula Valacho inhibitus, nec multò post dimissus, ordinavit rempublicam, & Ladislao Alberti II. filio, unà omnium sententià Regi creato, obligavit fidem. Ad quem antea regnum illud jure pertinuit, quod factione præreptum, morte Vladislai relictum, ad Ladislaum rediit, redditumque est legitimo successori. *Encis Sylvius hist. Bohem. cap. LVII. Bonsinius dec. III. lib. VII. Petrus Ranzanus epit. rer. Ungar. ind. XXIII.* Sed Hunniades eluendæ maculæ cupidus, quam superiore prælijo sibi aspersam putabat, summo ulciscendi desiderio tenebatur, nec tam regni commodo, quam vindictæ indulgebat, & domi immodicam potentiam, foris nimiam gloriam quærebat. Quem Amurathes II. quasi fulmen pertimescebat, ejusque conflictum, sitatio belli sineret, declinabat, ratus, non optandam sibi esse talem victoriam, qualem reportasset apud Varnam, quæ nimis cruenta, & prope cum exitio suo conjuncta fuisset. *Roo lib. V. De numero casorum variant Ungarici & Poloni-*

ci scriptores *Bonfinius* & *Duglossius*. Sed otii
impatiens, nihil mediocre cupiebat Hunnia-
des, & quamvis robore ac numero militum
impar, laceſſebat barbaros, atqve instructâ a-
cie, suas regniqve vires in unum prælii disci-
men conferebat, hisq; rebus irritabat hostes,
castrisq; exutus, regni fines nudabat, cum de-
inde spes suas de auxilio *Despote* vanas, & pro-
missa *Scanderbegi* de adjunctione cohortium i-
nania & irrita seriùs æstimaret. *Bonfinius d. l.*
Gaspar Enserer Ung. lib. iv. Quem laudant scri-
ptores *Ungari Thurocius, Ranzanus, Bonfinius,*
neqve ego de meritis ejus detractum volo, &
magnitudinem animi, laborisqve patientiam
admiror, sed ardorem ulciscendi nimium, præ-
cipitemqve agendi & pugnandi festinationem
probare non possum. *Poloni ipsius fidem sus-
pectam habent: Austrii scriptores vastum &
ambitione tumidum ingenium notant, adeo ut
asserunt, eum tyrannide suâ oppressisse re-
gnum, cum pro Rege præſſet Hungaris, &
Gubernatoris titulo, publica regni negotia rege-
ret, eiq; nihil, præter nomen & insigne regium,*
deef-

deesset. Talia ei à Comite Ciliae objecta sunt, quæ
ad tyrannidem aspirasse indicant : quæquam
ea diluit Bonfinius, tamen confirmat Joannes
Cuspinianus ; ille dec. III. lib. VII. hic in Alber-
to II.

XIX. Jure verò, an perperam munus
pro Rege susceptum gesserit Hunniades, in-
quire supersedeo : illud ei satis est, servasse Bel-
gradum, castrum ad Danubii & Savi conflu-
entes, quod Georgius Servix regulus Sigismun-
do tradidit, permutationis jure possidendum.
Nam ibi magno acrique impetu se objecit Tur-
cis, atque in eo rerum discrimine, urbi labo-
ranti opportunè affuit, copiasque hostium suo
ductu represit, & Hungaros adeò finitimos-
que populos barbarorum metu liberavit. Ni-
si festinasset Hunniades, fœdam miserabilem-
que servitutem urbs subiisset, quam regnante
Vladislao, Amurates II. obsedit, & Ladislao
summæ rerum imposito, Mahometes secun-
dus, occupatâ Cpli, successu elatus, atque in
spem subigendæ Hungariæ erectus, magnâ vi
oppugnavit. Conatum Hunniadis acuit ne-

D

ces-

cesitas, cum in ipso temporis articulo, quo barbari, superato muro, tendebant in urbem, adjutor veniret obsessis, & repentinâ aggressionem turbatos rejiceret hostes, ac verteret in fugam. Quæ subita nec provisâ res, cladem metumque attulit barbaris, & expugnandæ urbis facultatem Mahometi II. ademit. Mox Hunniades, curis molestisqve fatigatus & fractus, ex morbo præter spem contracto obiit, & urbis defensæ laborem, commodum regni, & utilitati rei Christianæ rependit. *Ranzanus ind. xxv. xxvi. xxvii. Bonfinius decad. III. lib. viii. Tarduccius cit. part. 1. Nossenius chronol. an. 1456. Dornavius, & complures.*

XX. Ab excessu Ladislai Matthias Hunniades, Joannis filius, mira fortunæ vicissitudine ex carcere, in quæ coniectus erat, dimissus, regnum suscepit, qui etsi ad frangendas Turcarum vires permultum poterat, tamen intempestivo ulciscendi studio, bellum potius in Austrios, quàm in Turcas convertit. Haud dubiè id barbaris magno ad res suas adjumento fuit, cum remissior Matthiæ animus, ap-
pa-

paratusque tardior, & conatus, quàm perseve-
rantia, major, spem facerent hostibus potentia
securius augendæ. Erat tunc Matthias
in magna passim invidia, præsertim apud Ger-
manos & Italos, quod tam iniquo & difficili
tempore, causam rei Christianæ desereret, ne-
que tam bellator prudens, quàm prædator fe-
rox, & paterno quidem, sed non imitando
exemplo, gravis infestusque Austriæ esset. Pro-
inde Itali rei indignitate permoti, pro suo in
Austriam amore cupiebant, populationis mo-
dum faceret, bellumque finiret: sed pertinaci-
ae repugnanti, pecuniam subsidii nomine de-
cretam persolvere recusârunt. Postquam
in Austrios effudit impetum, inciso rerum ner-
vo, morâ & mollitie impeditus, multas belli
contra Turcas gerendi occasiones neglexit,
maximè autem, ducta uxore Beatrice, lentus
nimium & languidus fuit. Quo rerum statu
Græci metu trepidi, speque auxilii, quod ab
Hungaria mittendam fuerat, frustrati, cesserunt
barbaris, & deserentibus salutem sociis,
una cum veteri sede Imperii Ot. servitutem sub-

runt. Quod si tunc per dissidia certamina-
que domestica Christianorum Principum fie-
ri potuisset, Turcæ multis bellis terrâ mariq;
distracti, vires ad resistendum uno tempore tot
hostibus suffecturas non habuissent. Mahome-
tes II. ipse de fama periclitatus fuisset, vix de-
fensurus occupatas Europæ urbes, quippe non
parvo intervallo disjunctas, & invadentibus
opportunas, siquidem subitò, nec opinatò ex
diversis locis imminuissent, alii classe missâ,
petiissent Hellepontum, ac, nisi penetrâssent
ejus fauces, saltem ostentâssent arma, & quo-
quomodo terruissent; alii territos adorti, terre-
stri itinere ad opem Græcis ferendam accu-
rissent. Sed cunctando occasio abiit, & nihil
dignum expectatione gestum est, dato barba-
ris spatîo se confirmandi, & impune vastandi
regiones finitimas, deductisque Ungarorum
de limite præsidii, Dalmatiam, & proxima lo-
ca infestandi. Veneti sub id tempus bello I-
talico distinebantur; Austrii incursionum ma-
la perpesi, diffidebant Hungaris, quorum
multa crudelitatis vestigia passim extabant:

Ger.

74
Germani reliqui ad suam præcipuè tranquillitatem spectabant, atque ob motus Burgundicos à proposito mittendi auxilii retrahebantur: omnes fere Europæ Principes mutuo metu & æmulatione se impediabant, quominus obsterent communi periculo, in quo & verti dignitatem Christiani nominis, & labefactari fortunam intelligebant. *V. post Æneam Sylvium, Geufræus, Revva, Belcarius, Olivarius, Marchantius, Tarduccius, Renatus de Lusunga, qui non spernendo studio, pleraque huc pertinèntia attigerunt.*

XXI. Post Matthiam regni dignitas Vladislao VI. obvenit, qui non modò non acrior, sed quoque multò remissior, & in administrandis regni negotiis segnior fuit. Hungarimobiles & turbis assueti, contemtâ Regis, quem irationi fato elegerant, ignaviâ, novis atque infauftis, quæ eruperant disidiis, commisi inter se, atque distracti, non quò res poscebat, sed quò libido svadebat, impulsî, occasionem hosti latius grassandi, tutiusquè nocendi præbuerunt. Defuit suis rebus Matthias, qui Ma-

homete II. sublato, & mox intestinâ seditione
obortâ, omnes superiori bello ademptas re-
giones repetere, atque ad obsequium redige-
re, vel ipsius Bajazetis II. sententiâ poterat, si,
ut tempus bello opportunum, sic ad geren-
dum illud paratus atque expeditus fuisset. Vla-
dislaus planè tardus, & ob præpingve cor-
pus etiam inhabilis, à pristino bellandi insti-
tuto nimirum recessit, non ignaro hujus rei
Bajazethe, qui Vladislao, præter consuetudi-
nem gentis Hungaricæ, pacem petenti, super-
bè respondit, & iniquâ conditione latâ, libe-
rum transitum, per Croatiam Valachiamque
concedendum flagitavit. Cujus postulati
indignitas Regem commovit, ut contractis au-
xiliis, se compararet ad bellum, quod arte &
consilio traxit Bajazethes, pugnamque decli-
navit, missis, qui de induciis tractarent: sum-
ma destinationum erat, fallere tempus & cun-
ctando eludere spem Vladislai, qui cœpto
compositionis negotio, ab hoste sibi non ad-
modum metuebat. Inter hæc Bajazetes cum
exercitu in Valachiam, proximasque regiones
de-

descendit, & magnâ crudelitate omnia latè
populatur, Savumque amnem transit vastat
agrum, & magnam abigit prædam. Vla-
dislaus more suo cunctabundus, deceptum se
videt, & callidi hostis insidias agnoscit, movet-
que castra in Bulgariam, & provinciam diripit,
prædaque contentus, nullo victoriæ fructu
percepto redit. Via tunc Cplin usque pate-
bat, gliscientibus in urbe factionibus, & affli-
ctis in Asia rebus, ubi Bajazetes adversâ fortu-
nâ cum Persis pugnârat. Sed Regi non ani-
mus, neque consilium erat, neque viribus suis
fidebat, neque opportunitate recuperandi a-
missas provincias utebatur. Idcirco à pace,
quam Bajazetes obtulit, non abhorrebat, pro-
pterea quod regni proceres erant discordes, pa-
rumque obsequentes, alii pace & otio frui, alii
inter arma versari cupiebant, nonnulli, ut fama
erat, inclinatione voluntatum in barbaros
propendebant, odio regis pridem invisi, &
suopte ingenio tardi, & nisi necessitas cogeret,
tergiversantis. *Paulus Jovius histor. xiiii. Lu-
dovicus Tubero de temporibus suis lib. III. Bon-
finius,*

finius, qui jussu Matthie Regis, quem ut Herculem laudat, historiam scripsit, ejusque partibus imprimis studuit, decad. III. lib. ix. seqq. conf. Thurocius, studio in Regem non inferior, sed stylo impar, qui in Matthia desinit: item Naucleri & Palmerii appendix, Tarducius, Mechovius, & vulgares alii rerum Turcarum compilatores.

XXII. Sub Ludovico, Vladislai filio, nondum res quietæ erant, proceresque, contemptâ Regis ætate, rempublicam quæstui habebant. Malum hoc fuit omen & signum regni labentis, cum licentia ac luxuria invalescerent, belli quæ studia, corruptis luxu animis, conciderent, & bonæ etiam leges, mirâ omnium rerum inclinatione, opprimerentur. Quæ in re fama existimatio quæve Regis læsa est, & regni majestas eviluit, certantibus ambitu & æmulatione primoribus, qui omnia ad nutum arbitrium quæve flectebant. Nihil tam frequens & solenne erat, quàm in theatro versari, & convivia ludosque apparare: reliquum tempus inutili cunctatione & otio, vel civilibus

bus odiis consumptum fuit. *Labem istius regiminis, & rerum confusionem graviter meritoq; deploravit Sigismundus Herbersteinus, natalibus pariter & ingenio inclutus, testisque rerum oculatus, neque is solum, sed etiam indigenæ Ungari ruentis in perniciem Ungariæ mores notant & conqveruntur. Ranzanus nihil dubitat scribere, Ungaros theatris & convivii deditos. Nadan. lib. III. cap. 20.*

XXIII. Omnes tamen fidenti animo periculum spernebant, & choreis comptationibusque tempus inutiliter terebant, irridentes apparatus hostis, quem maximè formidari oportebat. Nihil horum fugiebat Solymannum, animosum ac perinde callidum, qui pace cum Persis factâ, movit versus Hungariam, captoque Ralcianorum scelere Belgrado, Savum & Dravum, nemine resistere auso, trajecit, atque aditu hinc patefacto, urbes proximas intercepit, rectaque Mursam contendit, quæ regni hujus claustrum est, & recentiori vocabulo *Ezeckum* appellatur. Rex consilii inops, atque exhausto arario egens, im-

E mi-

minente jam hoste, quid facto opus esset, protinus exquirebat. Proceres variabant sententiis: quidam hortabantur, decertaret armis, inter quos primas tenebat Paulus Tomoræus, Juliani purpurati animo & impetu similis Antistes: quidam perspectâ periculi magnitudine, aliter statuebant, & ne Rex prælii copiam faceret, obsecrabant. Inter hos præcipuus erat Joannes Scepusius, Transylvaniae præfectus, qui tristem funestumque Ungaricæ expeditionis exitum facili animo prospiciebat. In quo ancipiti discrimine Rex, quid faceret, ignarus, rem per se arduam explicare non poterat, & inter ludicra educatus, nullamque regendi & militandi scientiam adeptus, alieno tantum consilio regebatur. Id temporis Joannes Scepusius cum validis copiis in Transylvania consistebat, differendi auctor certaminis, donec excita undique auxilia præstò essent. Rex, quid sentiret Scepusius, significabat regni optimatibus, apud quos omnia festinanter ac turbidè fiebant, nec mora, sed inconsulta audacia, atque

atque impetus valebant. Quibus rebus non
vanum cladis omen datum est, quando belli
cauté gerendi ratio nec Regi, neque ducibus
ejus constabat. Igitur dimicare statuit, &
prælio fatali apud Mohazium decernit, sed
multitudini hostium impar, turbatis ordini-
bus, fugâ salutem quærit, & dum evadere co-
gitat, cum eqvo in paludem delapsus, tam
cædè perit, quàm temere pugnavit. *Signa
infausta, sinistraque omnia cladem Mohazia-
nam præcesserunt, de quibus legantur Jo. Leun-
clavius pandect. hist. Turc. cap. 221. Revva
cent. vi. rer. Hung. Multi tradunt, Mohazia-
ne cladis initium cœpisse ab extraordinariis Un-
garorum præliis, apud Jovium hist. lib. xxxvi.
coll. l. xxiii. Revera temeritas fuit, nondum sub-
missis ex Transylvania, Slavonia, Croatia, Bo-
jemia auxiliis, cunctas regni vires periculo ob-
jicere, præliumque committere, quod finiat li-
bertatem, si clades accipiatur. Rex domi-
nops & miser, ac foris incerta subsidia expe-
ctans, nec militiæ assuetus, & copiarum robo-
re & numero inferior, in tanta rerum Hunga-
ricarum confusione, non tempestivè resistebat,*

regniq̄ve aditus celeritate hostis occupari sine-
bat, haud gerentibus ei morem Ungaris, cum
de custodiendo Dravi transitu admonendos cu-
raret. Interim tutò procesit hostis; Dra-
vumq̄ transit, Ungaris consultatione distra-
ctis, & regno ad egestatem redacto, in quo libi-
dini ac avaritiae omnia licebant, & disciplina bel-
li, auctoritasq̄ Regis jacebant. Melchior Soite-
terus narrat, Regem dolo & perfidiâ suorum ceci-
disse, lib. 1. belli Pannon. Innuvit, opinor, Joannem
Scepusum, perfidiae suspectum, quem belli arti-
bus clarum, & sopito Georgii Scythae, qui russi-
cos Hungariae conciverat, tumultu celebrem,
suaq̄ dignitate, & populi studio fractum, non si-
ne ratione timebat, tanquam is modum potent-
iae excederet, & indicio quæsiti in regia domo
connubii, spem succedendi in regno destinaret, ut
est apud Tuberonem lib. X. Nec obscurè Regis mor-
te letatus est, quo sublato, cum auxiliis serò venit,
regnumq̄ vacuum prensavit. Regi laboranti si-
mul cum pecunia auctoritas defuit, & idoneus
copiarum ductor frustra cõpetitus est, non sine
culpa Scepusi, Regem, contra quam is sperave-
rat,

rat, desituentis. Prælium unius & dimidia ho-
 ra spatio confectum, vires animosqve auxit bar-
 baris, qui deleto Ungarorum exercitu, in spem
 occupandi regni veniebant, haud ignari, Unga-
 ros a bello desuefactos, non providere periculum,
 nec præcavere, atqve ad belli munia imparatos,
 & diuturnitate otii langventes, luxui indulgera,
 & aleas potiùs atqve choreas, quàm arma, qve
 propter longam Vladislai desidiã neglecta fue-
 rant, sectari. Proinde Herbersternius verè sa-
 pienterq, scripsit, hoc regnum gaudio & tripudio
 periisse. Nec Tubero dissimulat permultos re-
 gni morbos, qui septimo Ludovici II. anno hi-
 storiam suam terminavit, lib. XI. eoqve postre-
 mo. Nicolaus Isthuansius scriptor scitus & inte-
 ger, qui regni in perniciem ruentis causas inde ab
 ultimo initio repetit, clademqve Mobazianam
 lib. VIII. describit. Melch. Söter lib. 1. Sal. Neu-
 gebauer lib. VII. Præterquam autem quod
 Hungari nimis secure & insolenter de rebus suis
 statuebant, indicias quoqve à Solymanno obla-
 tas rejciebant, legatumq, ab eo paciscendi causa
 missum, contumeliosè tractabant. Barbarus eo

facto irritatus, praetextu ulciscendi, bellum acri-
us movit, & Hungaros temere praelium conse-
quentes vicit, dicere solitus, non se venisse, ut Lu-
dovicum paterno regno exueret, sed ut Hunga-
rorum, qui nuncium eius Berhamum Cbausti-
um indignè habuerant, refrenaret, apud Thua-
num lib. 1. Quare sibi rectius consulisset Lu-
dovicus, si Regis Poloniae Sigismundi consiliū se-
cutus fuisset, qui verà, & rebus temporibusque
idoneà ratione ductus, suadebat inducias, &
tempestivè monebat, ne Ludovicus externo,
quod sperabat, auxilio fideret, cujus frustratio
deinceps afferret desperationem. Isthuanus lib.
VI. Ridebat Solymannus, cum oratores hinc in-
de missos audiret, qui nomine Regis Ung. substi-
dia peterent, quippe quem nec bello aptum, nec
viribus consiliisque suis nixum, perturbato re-
gni statu, nihil rectè facturum judicabat. Quod
perinde evenit, atque cogitavit Solymannus,
antea in luxum & libidinem pronus, sed patre
Selimo vivis crepto, repente mutatus, & glorie
cupiditate, ad arma conversus. Tubero cit. lib.

XXIV. Clade ad Mohazium acceptâ ,
summa calamitas exitiumqve regno impende-
bat , Budaqve , perlato stragis nuncio perculsa,
& præsidio nudata , ingruenti hosti ne resistere
quidem audebat , quam subjectumqve agrum
diripuit , & omnia ferro igniqve vastavit , mul-
tis hominum millibus partim cæsis , partim in
captivitatem abductis. Jamqve tota Un-
garia barbarorum injuriis obnoxia erat , nisi So-
lymannus , vicisse & vastasse contentus , relicta
sine præsidio Budâ , ad motus in Natolia com-
ponendos discessisset. Qui abitus Ungaris
fortunatus fuit , regniqve liberandi spem fecit ,
nec multò post consilium de Rege eligendo ha-
bitum , in quo potior saniorqve pars Ferdinan-
dum I. regno dignum pronunciavit , quippe
ad quem jure pacti & connubii pertinebat. Pars
reliqua , turbato comitiorum ordine Joannem
Scepusium elegit , absente regni præfecto , qui
præterquam quod , regno vacante , comitia in-
dicit , optimi quoque suffragii jus habet. Non
defuit causæ suæ Ferdinandus , atqve adverfa-
rium , metu magis , quam amore , & quod ca-
put

put rei est, cum vicio electum, armis perfecutus est, captaque Budâ, quam Joannes, adventante Ferdinandi exercitu, deseruerat, jus fœdere ac necessitudine quæsitum, strenuè defendit. Is Hungariâ, perinde ac Transylvaniâ pulsus, in finitimo Poloniæ regno præsidium quærebat, sed cum ei hoc ex animi sententia non succederet, auctore quodam, ut perhibent, Hieronymo Lasco, ad Turcarum auxilia conversus, Solymanno se permisit, regnumque ambitione suâ perturbatum, in pacis salutisque amittendæ discrimen adduxit. Qui nullâ quidem regiâ stirpe ortus, & militari potentia, quâ plerisque terrori erat, nixus, eò audaciæ processerat, ut non æstimatâ suâ conditione, regni potiundi spe duceretur. Igitur abjecta malorum, quæ secutura essent, cogitatione, in Solymani fidem clientelamque se dedit; quæ res Solymanno peropportunè cecidit, qui cœpta non omittenda ratus, festinavit illius causa, & expeditione susceptâ, clientem sibi deditum atque devinctum, in Hungariam superbâ & injusta vi reduxit, Budamque, non resistentibus præsidiariis, recepit, deditisque fini-


ti-

timis urbibus, quas metu minisque exterruit,
 nihil à tergo metuens, movit in Austriam, &
 repentino impetu per fines regionis pervasit,
 rectaque Vindobonam contendit, & urbem au-
 gustam magnis viribus copiisque obsedit, ubi pri-
 mum hæsitavit fortuna Solymanni. *V. Iſtu-*
ansius lib. X. Geufræus lib. I. rer. sub Solymanno
gestar. Leunclavius hist. Turc. l. xviii. & pan-
dect. c. 224. Melchior Soiterus lib. I. & II. Joovius
lib. xxiiii. Bizarrus lib. xi. Joannes Sambucus
in appendice Bonfinii, atque ex eo Casp. Ens, Rev-
va centur. VI. Philippus Lonicerus t. 1. Joann-
nes Pistorius in genealogia Regum Ungarie,
Tarduccius c. l. Thuanus cursim hæc attingit,
nécrationes omnes enumerat, quibus nitebatur
Ferdinandus I. Omnium minimè præterire de-
buit pactum inter Fridericum V. Imp. Ferdinan-
di I. proavum, & Matthiam Hunniadem, de
successione regni, A. MCCCC LXIII. solenniter
initum, sumtumque ea de causa titulum, & una
cum quaesito in Ungariam jure, à Friderico ad
Maximilianum I. rite delatum, quod, nullà exi-
stente legitimâ Matthiæ sobole, omninò imple-
F
dum,

dum, regnumque, defuncto Matthiâ, ad Maximilianum I. prorsus devolvendum erat. Exemplum pacti extat apud Sambucum, scriptorem Ungarum, in Appendice. Idcirco ab excessu Matthiæ dicebat Maximilianus, se verum esse Ungarorum Regem, atque à Deo constitutum, ut Tubero commemorat lib. IV. Quino imò ante Matthiam, Friderico V. Imp. tanquam Ladislai posthumi agnato, jus competebat in regnum, quod idem semper affirmat, agnovisse Ungaros, & designasse Fridericum, qui propterea Ladislao succederet, regnumque capesseret, quod jure sanguinis ei deberetur, lib. I. Fuitq; hæc voluntas Sigismundi Luzelburgici, nominantis & commendantis Albertum II. Austrium, Ladislai patrem, apud Gerardum de Roo lib. V. Cujus iudicio stabant regni Proceres, & electionem ratione succedendi temperatam, necessitudinisq; argumento constitutam, admittebant & approbabant. Etenim pleraque & præcipua Europæ regna, atque inter hæc Gothica, Getica, & Pannonica, non merò prorsusque liberè, sed circumscriptà electione, quæ sanguinem, aut voluntatem

tem regnantis respicit, deferebantur. A qua factum
men Ungari, statu regni corrupto ac turbido, in-
terdum recesserunt, nec multò post penitendi er-
roris causas habuerunt. Maxime temporibus
Vladislai IV. & Vladislai VI. quod cordatiores
Ungari doluerunt & fassi sunt apud Bonfinium,
cum quo conf. Tubero lib. I. & l. IV. Quo funda-
mento substructo, magnum pondus habet ratio,
quæ à connubio desumitur, præsertim in eo re-
gno, in quo iudicium regnantis valebat. Cujus-
modi regna successioni immixta sunt, & definitâ
electione constant, & pacto gentilitio vel dotali,
transferuntur. Neutrâ ratione iurari poterat
Scepusius, ad quem non spectabat pactum, supe-
riori tempore constitutum, neque electio ius da-
bat, quippe quæ inter turbas præcipitata, &
cum vitio peracta erat, nec fraudi esse poterat ju-
ribus dudum quæsitis, & à Ladislao posthumo
ductis, ac deinceps novo successione pacto ri-
te confirmatis, belloq; defensis, victo apud To-
cajum Scepusio, qui regnum Ferdinando I. debi-
tum invasit, & proditor Hungariæ, ac pestis
Christiani orbis à plerisque appellatur. Cuius
potior laus fuisset, si mediocritate fortune contentus, re-

grandi cupiditate tenuerit. Tandem facti huius pœnituit Scepusium, cum æstimaret meliorem Ferdinandi causam, & repicaret simul consilia Turcarum, quæ ad dominatum Turcicum, & Ungariae perniciem dirigebantur. Malum erat, cuius remedium inveniri non poterat, cum parum abesset, quin Solymannus omnia ad arbitrium constitueret, totoque regno potiretur. Itaque Scepusius, qui bello causam dedit, rei Christiana, & conscientia sua tandem consulere voluit, & cum Ferdinando de successione pactus est, ut, se mortuo, regnum ei, qui jure erat potior, restitueretur. Quamquam ne hac quidem conditio impleta est: postquam enim decessit Scepusius, pactio violata est, nato ei paulo ante mortem filio, cui tutor datus Georgius, auctor retinendi, & turbandi regni fuit. Quibus consiliis se immiscebat Solymannus, & de alieno regno, nova pactione, atque ipsi Joannis cessione, Ferdinandi partibus confirmato, impotenter statuebat, & patrociniis titulo se pro domino gerebat, quod eventus docuit, cum per insidias Budam occuparet, fridericū, faceret, & superiores ad eam injurias cumularet, regnumque cladibus debilitatum opprimeret, ac beneficii nomine, tutei, eque obtentu sibi injuste vindicaret, imò & hac afflictâ Ungariae conditione, viam ad invadendas & evertendas Christianorum regiones patefactam existimaret. V. Istvanusius & Sciterus, ex quibus Joannes dextrè explicandus, Thuanus supplendus, alii corrigendi aut declarandi. Tum exinde æstimanda & judicanda est epistola Joannis Scepusii, ambitionis & odii in Ferdinandum I. plena, quam A. c. 1510. XXIX. Ratibonam ad Senatū Imperii perscripsit, apud Nicolaum Reuserum lib. VIII. epist. Turc. Reclius sinceriusque, aut judicaverunt, & mirati sunt, inveniri homines, animo tam insigni improbo & perverso, qui Scepusii causam commendent, acerrimūque hosti amorem, & Regi optimo Ferdinando odium concitare velint, in volumine I. orat. Turc. apud eundem. Proinde Rex Polonia Sigismundus, etsi clam à Ferdinando alienior, tamen apertè nihil ausus est contra Ferdinandum, memor fœderis hereditarii, quod inter regna Hungariae & Poloniae, communis auxilii defensionisque nomine intercedit.



Additamenta.

I.

Regnum Ungariæ, inde ab ultimis Regum temporibus, merè electione delatum non est (etsi pro parte olim electio valuit) quod novis jam auspiciis tenet Leopoldus Cæsar, qui jus necessitudine, pactionibusque crebris quæsitum, iusto bello vindicavit, ac pulsis profligatisque hostibus, qui ruptis perfidiâ induciis, regnum invaserant, ab externo barbaræ gentis dominatu liberavit, recentique Procerum Ungaricorum cessione, in proximis Pofonii Comitibus factâ, sibi ac stirpis suæ in universum, lege hereditariâ confirmavit.

II.

Absurdum est, & rationi contrarium, moribusque culturarum, inprimis Christianum gentium institutis repugnans Andrea II. diploma, nominatim in eo capitè, quo non libertas, sed cyclopica licentia continetur, Regumque jus in tantum confunditur, evertitur ac deluditur, in quantum ibi facultas resistendi Regibus conceditur, tribuitur & sancitur. Quæ decreti pars Scytharum Hunnorumque ingenio congruit; Ungaros dudum cultos, & ante Andream II. ad Christi nomen adjunctos, non decet, neque usu & exemplo confirmata est; neque magis Ungariæ Reges, quam Jodoci Constitutio Imperatores Ro. obstrinxit.

I I I.

Regna Ungariæ conjuncta, non eadem parendi lege censebantur: quædam subjecta, quædam jure clientelæ obnoxia, aut vestigalia & tributaria fuerunt. Quæ diversâ acquirendi ratione constabant, nec uno eodemque modo possidebantur, ut peraptè & evidenter hic documento sunt, Dalmatia, Bosnia, Valachia, quæ dissimili jure ad Ungariam pertinebant.

I V.

Dalmatiæ pars minima est hodie pene Ungariæ Regem, ad quem tota olim spectabat, non solum mediterranea, sed etiam maritima; cujus sinuosa littora navis celebrantur.

V.

Utriusque repetendæ jus tamdiu durat, quamdiu Regis Ungariæ titulus manet, qui servati juris indicio retinetur, maximè contra *invasores* barbaros, qui alienum, neque ad se pertinens patrimonium, veris & legitimis S. Stephani successoribus Austriis eripuerunt. Excipio pactiones sigillatim inter Austrios Venetosque initas, quæ tamen non tam ad Illyrios & Dalmatas, quam ad Carnos & Istros pertinuerunt.

V I.

Cum jure Cæsaris fortuna se junxit; occasionentque recuperandæ Slavoniæ dedit, quæ Dalmatiæ pars est, & Dravo fluvio ab Hungaria determinatur. Quæ quidem alio nomine dicitur Pannonia Savia, quia inter Sævum & Dravum sita est, atque ab aliis quoque interamnis
ap-

appellatur. Ubi lato nuper Caesaris auspicio, felicibusque rei Christianæ incrementis recepta est Posega, regionis caput. Veneti ductu Cornari præfecti, Castellum novum, urbem a se præditam & permunitam, atque in ora maris sitam, expugnârunt.

VII.

Adeo regnorum salus pendet ex defensione urbium, quæ fines eorum aperiunt ac firmant, quibus occupatis, compedes libertati injiciuntur. Quod, captâ Cpli, experti sunt Græci, Illyrii, Bulgari, atque expugnato post Belgrado, didicerunt malo suo Ungari, Transylvani, Valachi, finitimæque gentes. Magnam profecto in illa urbe jacturam fecit Christianus orbis, cum Ungari & Veneti odio & æmulatione se impedirent, & isti etiam dissidiis civilibus conflictarentur. Nec tamen desunt, quæ cum Tuberone existiment, plus in Belgradensi, quam in Cpla Urbe amissum esse, quod dextre explicari posse, non inficiabor.

VIII.

Budæ receptâ, novum regnandi, cum plena potestate auspiciis Aug. Leopoldo præbitum est, quippe quod ita Turcas exterruit, ut majoris putarent Budæ, quam Peloponnesi damnum.

IX.

Ab hoc initio major felicitas cœpit, & secundo utique rerum successu contra barbaros pugnatum est, omnemque eorum de fatali Mohazio in superstitionis gentis cladem exitiumque versum, quando Murâ ad Dravum interceptâ, barbaris aditus præclusus est, atque ex hoc
tem-

tempore multæ atqve insignes urbes, præcisâ auxilii & annonæ spe, laborare cœperunt: Paloda & Mungazium denuò in Cæsaris potestatem redacta sunt, Alba regalis fatum simile expectat: Sigethum deniqve & Canischa, afflictis conturbatisqve hostium rebus, fortasse fortunam hanc sequentur.

X.


Nec solum Turcæ jam fracti, & metu consternati, sed etiam superstitione decepti sunt, quum Cæsar, delictis eorum ad Mohazium copiis, ultus est superiores Solymani injurias, Regisqve Ludovici manibus, cædium & crudelitatis Solymani vindicem poscentibus, parentavit.

XI.


Ungaria ulterior, deditâ Agriâ, ad fidem obsequiumqve Cæsaris rediit, & post diurnam servitutem, recuperatæ libertatis præmium tulit.

XII.

Inter hæc gaudia fas est gratulari Leopoldo, qui vigens lætusqve videt, quem voluit, successorem, & in munimento stirpis tutò insistit, filiumqve regis dignitatis socium, atqve in spem Imperii genitum complectitur, ac suam regniqve publicam salutem peropportunè defendit & tuetur. Qui pium justumqve bellum gerit, & urget ac premit barbaros, dominandi cupiditate excitos, atq; antea ambitione & audaciâ tumidos, nunc rebus adversis trepidos, acceptisqve tot cladibus dejectos, & viribus attritis confusos, atqve exhausto ærario inopes, ac prolapsa belli disciplina, ignavos & molles, cæsisqve ducibus idoneis, distractos & difficiles, militumqve rudes,







MC

